DE
COLICA SATURNINA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

UT SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

HONORES

RITE ADIPISCATUR

DIE I. M. DECMBR. A. MDCCCLIII.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS AEMILIUS THIELE,

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

O. GUERICKE, MED. ET CHIR. DR.

O. HILLE, MED. ET CHIR. CAND.

HALIS SAXONUM

TYPIS HEYNEMANNIANIS.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE PAGELLAS
PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

De colica saturnina.

§. 1. Plumbum ejusve praeparata, ubi in organismum corporis recepta sunt, dyscrasiam vel cachexiam generare solent, quae imprimis nervorum affectionibus, veluti colica, arthralgiis paralysibus vel cerebri morbis vim suam manifestat. Et isti quidem casus aut inter se separati aut sibi invicem conjuncti exsistere queunt; neque earum affectionum ratio talis est, ut altera alterius effectus sympathicus vel consecutivus sit, sed potius morbi processus ejusmodi sunt, quorum alius ab alio haudquaquam pendeat, quique nihil inter se nisi originem commune habeant. Quodsi hosce intoxicationis casus ita commode et apte inter se disjungas, nomine colicae saturninae nihil aliud videtur intelligendum esse, nisi acerrimus abdominis vel intestinorum dolor, qui particularum plumbi absorptione concitatus exardescit et intermissis liberis temporibus revertitur, plerumque pressione extrinsecus adhibita minuitur, cum vomitu bilioso, duritie et retractione abdominis, deinde cum pertinaci alvi obstructione aliisque nervosis vel spasticis organorum abdominis vel pelvis affectionibus copulatus est.

§. 2. Jam vetustissimi, de quibus accepimus, medici colicam cognoverant, quae plumbo in ventriculo introducto erat excitata. Etenim Hippocrates, Nicander, Dioscorides itemque alii, nec non quidam de Arabum gente medici de casibus colicae similibus nonnulla referunt, quos post internum plumbi praeparatorum usum consecutos observaverunt. Quam vero plumbum alio modo in organismum vim exhibere posset, hoc quidem plane illos fugerat, cumque colica secundum illius me-

talli usum haud crebro exsistens animadverteretur, minime mirum esse debet, ejus morbi naturam ab his doctissimis viris incerte atque obscure adumbratam esse. Accedit, quod Romani etiam scriptores posterioribus temporibus saepenumero ejusmodi casus descripserunt, quorum praecipua symptomata colica, paralysis, similia alia essent, in quibusque multis de rationibus aetiologia morbi optime ex plumbi efficacia repetenda sit. Ac primum illis potissimum temporibus medici plumbum multifariam intus adhibere consuerant: veluti Paracelsus: Saturnus, inquit, purgat febres; deinde scriptum reperimus a nonnullis auctoribus, vinum tunc in universum partim succo baccarum vitis, qui in vasis plumbeis decoctus erat, admixtum, partim in vasis, quorum fundus lamina plumbea instructus erat, reconditum et servatum esse, idque eo consilio, ut acida fermentatio evitaretur. Praeterea multae aliae fuerunt causae, quibus nunc sine dubio colicam saturninam procreari dicere possumus, veluti ars plumbum fodiendi, tractandi, liquefaciendi aliaeque ejusdem generis, quae jam illo pristino tempore exsistebant; quibus omnibus ex rebus certo concludere licet, plerosque eorum casuum, quos illi scriptores colicae saturninae adeo similes descripserint, ex eo ipso morbo repetendos esse, et medicos istius temporis non satis dilucide cognoscere potuisse, unde illi casus originem ducerent. Postea demum quam observationes illustres de colica endemica ineunte decimo septimo saeculo in lucem editae sunt, viri docti plumbi intoxicationi attentius animum adverterunt, ita dumtaxat, ut multifariam Pictavorum, quae dicitur, colicam et colicam saturninam eundem morbum existimarent vel adeo hanc inferiorem simpliciter colicam Pictonum appellarent. Jam vero, quae causarum hujus morbi ratio esset, plerique ejus temporis medici ignorabant, cumque multae aliae colicae, quae acidis vel acerbis ingestis, aut secretis morbose affectis in tractum intestinorum se infundentibus similibusque de causis concitatae erant, cum colica saturnina multis locis maxime confunderentur, hinc imprimis facile intelligere attinet, in hoc capite illustrando ab ejus temporis scriptoribus miram rerum turbationem et perversionem excitatam esse. Proximo demum saeculo, imprimis vero decimo nono nonnulli libri in lucem editi sunt, in quibus vel ipsius morbi symptomata clarius et accura-

tius descripta, vel multa de ejus sede et natura certius axplicata vel cura multis observationibus probata reperitur.

Quo in numero cum veterum tum recentium scriptorum maxime illustres enumerare attinet:

Stockhausen, De lithargyri fumo noxio morbifico ejusque metallico frequentiori morbo, vulgo dicto Hüttenkatze. Goslar 1656.

De Haen. De colica pictonum. Rat. medendi T. I. u. III.

Ilsemann, De Col. sat. metallurgorum disputatio. Goettingae 1725. in Haller's Disputat. t. III.

Astruc, in Haller, Collect. Diss. Pract. vol. III. No. 84.

Grashuis, De col. picton. tentam.

Andral, Clinique médicale. 3. édit. T. II.

Pemberton, Krankheiten des Unterleibes, übersetzt von Gerh. v. d. Busch. 1817.

Tanquerel des Planches traité des maladies de plomb. Paris 1839.

Brockmann in Holscher's Annalen. Bd. 2. H. 4.

Romberg, Nervenkrankheiten. 1851.

Quod si quis universas de colica saturnina litteras uno conspectu exhibitas intueri cupiat, optime eas explicatas deprehendere possit in

Canstatt, Handbuch der medicin. Klinik. B. IV. p. 626.

Copland, Wörterbuch der practisch. Medicin. B. II.

§. 3. Ad hunc morbum generandum necessario requiritur, ut certa quaedam plumbi copia in statu quam maxime subtiliter diviso in aliquam absorbentem membranam nostri corporis contingens incidat, ita ut capillaribus recipi et in succorum substantiam traduci possit. Tantummodo propter absorptionem singulae plumbi particulae facultatem adipiscuntur colicam saturninam procreandi; sin autem majores plumbi massae deglutiuntur, tum in ventriculo illos tandem effectus generare poterunt, quales hoc quoque loco contactu cum omnibus reliquis substantiis irritantibus et corrosivis excitare solent.

Jam vero plumbi absorptio aut per cutem, quae epidermide sua nudata est, aut digestionis aut respirationis viis perpetrari potest.

Multi veteres, nonnulli etiam recentioris memoriae medici affirmant, plumbum per cutem absorberi eoque modo colicam saturninam procreari posse. Ita, ut exemplum afferam, interdum homines observati sunt, qui plumbum in statu solido tractabant, quo in labore igitur minime fieri poterat, ut plumbi particulae per aërem, quo operae circumdabantur, singulatim dissiparetur, quique nihilo minus hujus morbi impetu correpti sunt; similiter fuerunt, qui eum morbum ex externo plumbi sub forma unguenti vel liquida usu se observasse asseverarent. Et sane quidem suspicari licet, hoc quoque loco absorptionem non minus quam in multis aliis metallis locum habere posse, quae quidem res dubitari nullo modo potest. Verumtamen multae aliae observationes factae sunt ejusmodi, quibus ista suspicio evidentissime refutetur. Quippe operarii, qui etiam nihil aliud nisi plumbum solido statu usum tractant, manibus, quas antea non satis diligenter purgaverunt, eos cibos, quibus vescuntur, ita contingere queunt, ut absorptio per vias digestionis perpetretur; quo accedit, ut multi alii medici in ejusmodi hominibus hunc morbum nunquam exarsisse videant. De altero autem loco manifesto videmus, histriones quotidie fuco uti, quo minium vel cerussa continetur, neque tamen in iis unquam saturninam colicam natam esse observavimus. Porro hoc de loco pauca experimenta ab illustri Tanquerel *) instituta nos docere potuerint: qui postquam internam partem femoralem canis mediocri magnitudine usi et usquedum omnino integri abrasit, hisce locis unguentum ex uncia cerussae et uncia adipis compositum infricuit. Jam istae frictiones octo continuis diebus quotidie quater institutae sunt, ita ut quoque die drachma plumbi subcarbonici consumeretur. Proinde bestia ut plerumque cibis vescebatur et perfectam valetudinem retinebat. Cum vero loco frictionis Kali sulfurici solutio infunderetur, ille atrum colorem ducebat. Iisdem fere experimentis vir doctissimus in alio cane et in cuniculo utebatur, quibus in locis eodem modo abrasis partim emplastrum plumbeum, veluti emplastrum diapalmae et emplastrum matris, partim unguentum ex uncia lithargyri et uncia adipis per longius etiam

*) Tanquerel des Planches B. I. p. 41.

temporis intervallum infricanda curavit, nec tamen ullum inde eventum observare potuit. Quae quum ita sint, satis recte con jicere licet, cutem epidermide sua contectam, si plumbum ei applicetur, hujus minime sufficientem copiam ita absorbere, ut hinc intoxicationes nascantur. At vero utique fieri potest, ut hoc metallum cuti nudae vel membranis mucosis implicatum ad colicam procreandam idoneum sit, quae certe res saepius observata est: adhuc quidem nemo est inventus, qui hanc conjecturam refutaverit.

Mirari possis, plumbum intus suppeditatum, veluti interdum in phthisibus et in haemorrhagiis, antea praecipue contra gonorrhoeam et Anaphrodisiaci nomine adhibitum est, saepenumero ne minimum quidem homini curando detrimentum attulisse. Verum tamen hoc loco maxime est verisimile, plumbum aliis corporis constitutionibus majora detrimenta attulisse quam aliis, persaepe vero etiam fieri potuisse, ut symptomatis ejus morbi, ad quem oppugnandum medici plumbo utebantur, colicae signa contegerentur et obscurarentur, qua de causa facile induci poterant, ut plumbi intoxicationem nullo modo dignoscerent. Quid quod Copland *) plumbum, etsi propria certe et principalis colicae causa sit, minime tamen pro unica causa habendam esse censet: etenim acidis potionibus vel cibis, deinde ingestis perperam adhibitis, spirituosis potibus, perfrictionibus aliisque rebus in eis hominibus, quorum in corpore veneni substantia coacervata reperiatur, hujus vim efficacem fieri et impetum procreari posse. Utcunque ea sunt, plumbum in viis digestionis in membrana mucosa ad absorptionem adeo propensa perfacile colicam excitare poterit, praesertim si verum est, quod medici **) et veteres et recentiores suspicantur, praesenti acidorum in primis viis copia noxios plumbi effectus praecipue adjuvari. Omnes cibi et potiones, quibus praeparata plumbi admixta sunt, causam praebere possunt, unde morbus exardescat. Ita exempli gratia hausta aqua ea hic morbus observatus est, quae per canales plumbeos adducta erat vel in

---

*) Copland, Wörterbuch der practischen Medicin. B. II. p. 262.

**) de Haen Rat. med. T. X. C. II. Brockmann in Holscher's Annalen B. II.

plumbeis vasis servabatur. James Robertson *) in instituto, ubi viginti puellae educabantur, pota aqua, quae in cisterna plumbea recipiebatur, magis minusve ea symptomata exsistere animadvertebat, quae colicae saturninae propria esse solent. Simile quoddam exemplum **) nuper admodum Lutetiae Parisiorum occurrisse accepimus. Cum enim duo homines vinum bibissent, quod per canalem plumbeum erat ductum, manifesta intoxicationis ex plumbo symptomata se prodiderunt. At vero ejusmodi aqua, quantum quidem ex illustris Tanquerel ***) observationibus sequitur, ita dumtaxat ad morbum excitandum idonea erit, si aëris atmosphaerici vi contingitur; plumbum aquae expositum mox in oxydum plumbi convertitur et exinde in plumbum carbonicum, cum oxygenium et Acidum carbonicum aëris facile ad se attrahat. Subcarbonatum, quod hoc modo efficitur, in aqua omnino vel magna ex parte dissolvitur, propter acidum carbonicum, cujus ea plerumque nimiam copiam continere solet. Praeterea etiam si alimenta in supellectile vetusta, prava, stanno obducta coquuntur, his sumtis morbus concitari potest, cum facile singulae plumbi particulae depelli eaque ratione in viis digestionis absorberi queant. Interdum morbus in infantibus animadverti potuit, qui saepius ludicras res praeparatis plumbi oblitas sugebant vel cupediis vescebantur, quae eadem materia infectae erant. Item summum detrimentum homines capiunt ex eo vino, cui lithargyrum vel saccharum plumbi admixtum est.

Viis respirationis plumbum perfacile absorbetur. Quapropter homines, qui per diuturnum tempus in aëre versantur, particulis plumbi vel vaporibus ex isto metallo manantibus magnopere referto, quique idcirco magnam ejus substantiae copiam spiritu ducunt, facile in colicam saturninam incidere queunt. Huc accedit, quod eae substantiae gasi vel pulveris forma dissolutae cum in respiratione tum in omni deglutitione in ventriculum introducuntur, tum per salivam utique ad chymificationem necessariam multae plumbi particulae per eam solutae in vias

---

*) James Robertson: An acount of cases of chronic lead poisoning, caused by drinking water kept in a leaden cistern. Lancet. Febr. p. 202

**) Journal de Chimie médicale. Nr. III. Mars 1853. p. 161.

***) Tanquerel B. I. p. 55.

digestionis ingeruntur. Maxime igitur eo morbo illi laborant, qui in praeparatis plumbi fabricandis versantur, praesertim qui cerussam efficiunt, tum operarii in coloribus plumbeis, in vernicibus plnmbum continentibus, qui porro in plumbo vel conflando vel in laevem crustam conficiendo aut in tractando solido metallico plumbo occupati sunt, veluti, ut eo de numero paucos recenseam, qui conclavium parietes pictura decorant, pigmenta fricant, instrumenta lacca obducunt, vitrarii, fabri lignarii, typorum fusores, bractearii, stannarii, tum qui in aerariis laborant, fabri metallorum, figuli, typothetae, metallorum fossores et alii ejusdem generis. Porro effectus acerrimi et ingenti celeritate consequuntur, si oxyda plumbi, id quod conclavium parietibus oblinendis plerumque fieri solet, praecipue terebinthino intermixta sunt, quod cum in vaporem diffluit aliquam oxydi partem secum abducit eoque modo respirando ingeritur. Quocirca maximum capitur detrimentum, si in ejusmodi conclavibus recens oblitis vel omnino coloribus plumbi modo obductis dormias.

Jam vero cum colica saturnina vulgo in iis hominibus conspiciatur, qui in aëre particulis plumbi gravido operautur itaque nimirum major aëris copia ob eamque rem etiam veneni in respirationis quam in digestionis organa perveniat, satis probabiliter medici coujecerunt, per respirationis vias praecipue plumbi intoxicationem effici.

§. 4. Plerique eorum hominum, qui colica saturnina laboraut, ad adultam aetatem pervenerunt: in aetate quidem longius provecta ista colica minus facile quam in juventute nasci videtur. Mulieres autem generatim rarius morbi impetu quam viri corripiuntur, cum jam propter laborum, quibus occupantur, rationem parum in plumbo tractando versentur. Eo anni tempore, quod solis ardoribus maxime obnoxium est, colica multo saepius occurrit, quam in aëre refrigerato vel in algida tempestate. In numero 1217 aegrotorum, quos Tauquerel observavit, mense Majo 115 homines, Junio 137, Julio 190, Augusto 127 colicae vi affecti erant. Nec vero omnes homines, qui pestiferae vaporum plumbi poteutiae obnoxii sunt, colica saturnina corripiuntur: porro alii multo serius quam alii, posteaquam jam per complurium annorum intervallum noxiam plumbi omnino vim subterfugerunt. Brockmann causam ejus rei ex relativa acidorum copia, quanta

in primis viis suppetat, repetendam esse censet: intoxicationem quidem aliter fieri non posse nisi pulvis plumbi in salem plumbi commutetur, atque individualem ad morbos saturninos dispositionem ex copia acidi pendere, quod in primis viis diffusum ad istam commutationem perficiendam idoneum sit. Verum, ut supra demonstravimus, particulae plumbi saepissime per vias respirationis absorberi videntur, sententia igitur, cujus auctor Brockmann *) est, rem dijudicare neutiquam potest. Excessibus in victu, nimia spirituosorum potatione facile causa suppeditatur morbi augendi: qui quidem homines sibi in victu temperant et abstinentes se gerunt, ii maxime ista prava affectione liberi apparent; in quibus etiamsi forte exardescit, non solum id serius accidit, verum etiam impetus longiore demum tempore revertuntur. Saepius colica recidiva exhibet idque eo magis, quo crebrius homines aegroti jam antea morbi impetum perpessi erant. Tantum constare traditur, operarios, qui jejuni quotidiana opera aggrediantur, facilius et citius in colicam incidere, quam qui antea cibi appetitui commode satisfecerunt.

§. 5. Anatomia pathologica et chemia parum tantummodo certi attulit, quae colicae saturninae natura esse videatur; plerumque nimirum cadaverum sectiones nihil declaraverunt, quomodo structura normalis ulla parte conturbata esset. Etenim si qui **) in istiusmodl cadaveribus inflammationem, intumescentiam, indurationem membranarum intestinorum vel adeo sthenoses animadvertisse sibi videntur, magnopere erraverunt: cujus erroris haud scio an haec maxime causa fuerit, quod colica, ut saepissime accidere solet, non simplex per se exstiterit, sed cum enteritide fuerit combinata. Ex iis rebus, quae de multis illis sectionibus relatae sunt, quas Andral, Grisolle, Tanquerel, alii in cadaveribus hominum colica saturnina non complicata affectorum instituerunt, hoc maxime sequitur, plerosque casus nullam offerre tractus intestinorum commutationem, praeterquam quod paucis casibus membranae intestinorum concrassatae vel glandulae Brunnerianae vel Peyerianae magis dilucide evolutae apparuerunt, quae tamen perturbationes sine dubio in multis

---

*) Brockmann in Holscher's Annalen Bd. 2. H. 4.

**) de Haen Rat. med. T. X. C. I.

quoque aliis morbis deprehenduntur. Qua in re hoc mirum occurrit, quod Tanquerel multis in exemplis tractum intestinorum conglomeratum et compressum reperit, quem tamen etiam levissime trahendo vel aërem inspirando ad normale lumen restituere licebat. Hunc igitur statum convoluti intestinorum tamquam propriam anatomicam colicae saturninae indolem testatur, quoniam in nulla alia affectione adeo perspicue expressus reperitur. Verumtamen istam tractus intestinorum contractionem utique nihil aliud nisi colicae effectum esse existimat, non causam putat, unde symptomata vivo homine observata exoriantur.

Nec vero chemica analysis graviora momenta suppeditavit, quae studio morbi naturam investigandi commode satisfacere possint. Tametsi enim minime dubium esse potest, quin in corporibus eorum, qui colica saturnina confecti sunt, plumbi substantia suppetat, multi tamen viri chemica arte praeter ceteros experti nequidquam plumbum in cadavere indagare conati sunt. Orfila et Alf. Devergie eo optime de arte medica meriti sunt, quod, cum accurata ac perdiligenti analysi uterentur, revera particulas plumbi investigaverunt, quae in corporis organismo absorptae erant. Devergie ad quaerendam plumbi substantiam singulari ratione uti jubet, quam Tanquerel *) accuratius descripsit.

§. 6. Colica nunquam fere subito exardescit, verum plerumque alia symptomata constanter anteceduut, quae tamen ab iis signis, qualia in reliquis ex plumbo affectionibus sub oculorum adspectum subjiciuntur, nullo modo differunt. Appetitus cibi deficere coepit, oris cavitas perpetuam siccitatem praebet, lingua pallida, praecipitato quodam plumbi inducta apparet, gustatus subdulciculus et adstrictus evadit. Exhalatio odorem pravum et fastidiosum accipit; simul obscuri quodammodo dolores in epigastrio et nauseae excitantur. Ad gingivam proxime dentes margo subcaeruleus conspicitur: reliqua earum pars plerumque speciem pallidam ex rubro caeruleam offert; simul collabitur itaque a dentibus recedit, qui ex plumbi praecipitato colorem ex fusco flavescentem ducunt, ac postea facile cariosi fiunt. Vulgo alvi obstructio, saepe etiam retentio urinae

---

*) Tanquerel B. II. p. 271.

adest. Tamen saepius Tanquerel alvi profluvio, quod paulo post obstructio excepit, pravam affectionem praenunciatam animadvertit. Eodem tempore generalis quaedam per universam corporis compagem languiditas concitatur, comitante minuto per extremitates sensu, simulque lurida et icterica communis integumenti specie. Haec extrema symptomata cum ceteribus casibus conjuncta plerumque nuntiare solent, morbum paulo post erupturum esse.

Jam si mala affectio, de quo sermo noster instituitur, proprie ac vere initium sumit, tum primo dolores acres huc illuc vagantes, postea vero magis certum locum occupantes moventur, qui singulis intermissis temporum intervallis vehementer increscunt ac saepenumero adeo vim suam augent, ut aegroti ne ferventem quidem aquam abdomini infusam, neque res ardentes eidem regioni applicatas sensu percipiant. Quam ob rem prius colica saturnina, vel, ut eam veteres medici dicere consuerant, colica pictonum sic definita est: „Colica pictonum, nostratibus designat dolorem colicum atrocissimum simulque pertinacissimum ex quacunque causa natum. *)" Plerumque umbilicus eum locum offert, qui acerrimo dolore vexatur; etenim ex illustris Tanquerel observationibus dolor hoc loco atrocissimus apparuit 243ies, in epigastrio 184ies, in hypogastrio 150ies, in reliquis omnibus abdominis regionibus nonagies. Dolor quidem modo magis obscurus, modo premens, alias pungens et perforans, alias rumpens percipitur; vultus aegroti vel maxime distorquentur et obtutum summae anxietatis ac perturbationis induunt, oculis rigidis et quasi lippientibus aegrotus inquietus huc illuc jactatur, tamquam furiosus abdomen suum ferit et nonnunquam mugitum edit, quemadmodum Stoll se animadvertisse contendit. Nec vero remissiones unquam omni dolore vacant. Quo tempore aegrotus summo opere defessus ac prope confectus jacet, in eoque intervallo minus conqueritur, donec novis exacerbationibus, quae eo saepius repeti solent, quo acrior in universum doloris vis exardescit, summi ejus cruciatus redintegrantur. Quodsi pressionem abdomini adhibeas, vulgo acerbitas doloris imminuitur; quem tamen per amplius abdominis spatium et

*) Grashuis, de col. picton. tentam. p. 2.

firmiter quidem exerceri necesse videtur, cum pressu uni loco adhibito dolor saepenumero augeatur. Similiter traditur etiam situm pronum et incurvatum genibus ad abdomen adductis permagnam sublevationem laboranti afferre. Maxima ex parte, nec tamen ubique, abdomen colicis doloribus ad perfectam acerbitatem provectis, praecipue regio umbilicalis ad spinam dorsi versus retracta apparet, adeo interdum, ut ei abdomen quasi affixum videatur et pulsationes aortae satis perspicue tangendo percipere possis. Quo tempore parietes abdominis rigidiores sentiuntur, saepe lapidis instar, ita ut tumores et nodos sentire sibi quisque videatur, cujus rei causa ex inaequali abdominis tensione ac duritie repetenda est. In colicae impetu vulgo durities et depressio abdominis augentur et in remissionibus abdomen saepe omnino flaccidum reperitur. Interdum abdomen etiam nullam prorsus mutationem praebet, rarius contra inflatum et tensum apparet. Verum Copland per extrema morbi stadia plerumque abdomen propter dilatationem tractus intestinorum musculorumque affectiones inflatum ac sensibile se deprehendisse asseverat. Quo eodem viro auctore abdomen haud rarius extensum quam depressum est, eaque extensio e flatibus ac faecibus in colo accumulatis nascitur, cum colon per totum decursum infra abdominis integumentum sentiri possit. Eodem temporis momento continua alvi obstructio exsistit, quae cum doloris vehementia aequabilem et pariter respondentem rationem et progressum praebere videtur, cum crebro impetu faeces exinaniendi nequidquam tentato conjuncta est et usitatis purgantibus remediis saepe pertinacissime resistit. Simul frequenter et sphincter ani et intestinum rectum tam arcte constricta animadvertuntur, ut maximam partem perarduum sit, clysma adhibere. Quodsi tandem aliquando alvus ducitur, faeces durae et aridae, subflavae vel ex cano atricantes, globosae, ut Scybala, apparent, aquae injectae supra natant; efficatioribus demum purgantibus adhibitis exinanitio alvi fluidior fieri incipit. Qua de re cum alii nonnulli tum Andral *) alvi obstructionem primum et constantissimum hujus morbi symptoma esse et dolori semper antecedere contendit, sic ut, ubi alvi egestiones restitui

*) Andral, Clin. med. T. II. p. 157.

coptae sint, eodem modo doloris vis diminuatur. Huic tamen opinioni ea, quae Tanquerel diligentissime observavit, vel maxime refragantur. Qui quidem dolorem semper primum exsistere eumque etiam remota obstructione per complures dies, hebdomades, adeo menses continuari vidit. Deinde nunquam dolor deerat, etiamsi nulla omnino alvi obstructio, sed e contrario profluvium aderat. Denique si colica sola naturae ope obmutescit, vel si non purgantibus, sed alia quavis ratione restincta est, primum dolor conticescit, postea demum reliqua symptomata, imprimis obstructio finitur. Jam eodem tempore, quo haec symptomata sub adspectum nostrum cadunt, perpetuo ciborum appetitus deficit; gustatu aegroti maximam partem subdulciculo, saepe vero etiam amaro utuntur, lingua principio pura, postea subalbida specie obducta simulque humida conspicitur. Sitis plerumque vivacissima, secretio salivae vulgo deminuta, os valde siccum, gingiva ex cano subcaerulea, taedium et vomitus et ipsa plerumque comitantur; vomitus quidem maximis tantummodo difficultatibus consequitur, ita, ut vulgo summa anxietas accedat, atque cum in remissionibus tum in exacerbationibus animadvertitur; simul aegroti massas ex viridi flavescentes, foedum odorem fundentes ac peramaro gustatu insignes ejiciunt. Maxima ex parte molestiae ex urina nascuntur, spasmus cysticus, stranguria, ischuria, ut perarduum sit, catheterem recte introducere; simul saepenumero dolor majore vel minore vehementia in regione renali excitatus, qui crebro secundum coxas usque ad vesicam pertinet. Praeterea spastica symptomata in musculo cremastere exsistunt, qua re testiculi vehementer ad annulum abdominalem attrahuntur, quo accedit, ut penis etiam saepenumero adeo se contrahat, ut in scroto tanquam absconditus collocatus sit. Nec vero unquam sexualis cupiditas adest, neque erectiones ullo modo sunt observatae. Febri colica saturnina omnino caret, itemque cutis secretio plane normalem indolem retinet. Pulsusple rumque satis tardus percipitur, eodem vero tempore durissimus. Haec igitur tensio atque durities parem et aequabilem rationem cum colicae vehementia videtur inire, quin etiam Tanquerel ita statuit, si pulsus mollior et frequentior appareat, hoc certum decrementi morbi signum et documentum esse. Vox persaepe tenuis,

infirma et oppressa percipitur, simul dyspnoea reperitur, crebro respirandi molestiae tantam sunt vehementiam consecutae, ut prope periculum sit, ne aegrotus repente suffocetur. Quodsi vis colicae per diuturnius temporis intervallum perseveravit, maxima corporis macies et celeriter aucta (Tabes saturnina) perspicua est, quo accedit, quod facies summam auxietatem quasi expressam exhibet, ita tamen, ut paulatim temporis decursu sensus obtundantur, ut aegrotus omnia pariter hebeti animo ferat.

§. 7. Decursus morbi haudquaquam normalis vel regularis dici potest: modo casus alterna vice crescunt et minuuntur, modo malum per complurium dierum spatium vi et intensitate maxime progreditur, tum vero repente decrescit. Quo tamen loco consentaneum est, multas exceptiones exhiberi. Frequenter colica vesperi et nocturno tempore vehementius exardescit, cum per horas matutinas casus ac dolores minuantur. Diuturnitas temporis, quo colica saturnina perseverat, magnas varietates offert, quarum discrimen vel a causa mali, vel a decursu, constitutione aegroti, cura similibusque aliis momentis pendet. Quodsi mature auxilium medici imploratur, tum commoda et idonea curandi ratione morbus plerumque jam quinque vel sex diebus evanescit; quid quod saepenumero facultas medico datur malum jam in stadio prodomorum opprimendi. Interdum morbus chronicam naturam induit, tum per complures menses et annos persistit, singuli paroxysmi majore vet minore celeritate se invicem excipiunt et curae ad punctum tantummodo temporis cedere solent. Verumtamen aegrotus omnino haud nimiis molestiis conflictatur et sane tolerabilem vitam agit.

Jam colica saturnina aut ita sanatur, ut aegrotus in prosperam valetudinem restituatur, aut cum aliis morbis complicatur itaque maxima ex parte letifera fit, raro accidit, ut ipsa per se sola mortalis exitus causa reperiatur. Quodsi morbus in sanationem transit, principio dolor restinguitur, alvi egestiones pristinam et regularem rationem recuperant, abdomen rursus mollius evadit veteremque normalem formam assumit, gasa sursum ac deorsum discedunt, foedus ille gustatus et odor evanescunt, appetitus ciborum revertitur, pulsus rursum mollis et regularis fit, recta quies et tranquillitas in dormiendo redit,

sic ut omne tandem colicae vestigium paulatim exstinguatur. Sanatio saepe tam subito perfici potest, ut aegrotum aliquem, in quo omnia et manifesta morbi symptomata modo ad summum vehementiae fastigium pervenerunt, jam semihora post ex omni parte convaluisse videre possis. Sin colica non in sanationem cedit et diutius indurat, facile cum aliis affectionibus complicatur, id quod plerumque in casibns jam acrioribus et ad summam vehementiam provectis accidere solet. Frequentissime reperiuntur complicationes cum aliis morborum saturninorum formis, veluti cum arthralgiis et paralysibus et encephalopathiis saturninis. Inter hasce igitur affectiones et colicam saturninam saepenumero singularis plane ac propria ratio vicissitudinis intercedit, ut cum intensitate colicae illi quoque casus, cum illis casibus colicae vis minuatur. Qua in re mirum est, colicam, si, id quod saepenumero usuvenit, recidiva habet, haud rursus suo nomine, sed illorum ipsorum casuum forma praeditam recurrere. Jam praeterea haud nimis raro evenit, ut ad colicam saturninam catarrhales vel inflammatoriae digestionis organorum affectiones accedant, quo in numero gastrici catarrhi gastritis, enteritis oriuntur; alios quoque morbos veluti dysenteriam, typhum, peritonitin, nephritin simul cum hoc morbo rerum periti se observasse affirmant. Haec igitur omnes complicationes eam vim habeut, ut perfacile funesti exitus causae fiant.

Mors autem ex mera colica saturnina nunquam consequitur, sed ita dumtaxat, si illae, quarum modo mentionem fecimus, complicationes exstiterunt. Clarissimus quidem Andral dicit, de numero quingentorum amplius hominum, qui colica saturnina laboraverint quosque observandi occasionem nactus sit, quinque tantum mortem oppetiisse. Atqui in his ipsis quinque casibus vel deliria, vel convulsiones, vel casus asphyctici letalis exitus causam praebuerunt. Etiam Tanquerel excepto uno tantum casu mortem in colica saturnina ex nulla alia re, nisi ex paralysi vel encephalopathia saturnina, nunquam propter symptomata ex abdomine evoluta incidisse animadvertit.

§. 8. Si colica saturnina simplici forma praedita neque cum aliis morbis complicata exsistit, facile eam dignoscere possis, praesertim si causam morbi satis recte et commode indagare licet. Jam ardua diagnosis erit, si colica cum inflammatoriis organorum gastricorum conditionibus, ut cum gastritide, enteritide

similibusque affectibus conjuncta apparet. Quo loco praeter cetera symptomata simul febriculenta respicere consentaneum est, deinde maxime conspicuam linguae siccitatem et ruborem, frequentem vomitum, qui praesertim ex omni ciborum et potionum usu commovetur, acres illos dolores, si extrinsecus abdomen premitur, porro abdomen intumescens. Praeterea in his inflammatoriis gastricis conditionibus urina rubra ac turbida conspicitur, cutis sicca et ardens, pulsus admodum acceleratus, simul crebro vehementes ex capite dolores percipiuntur. Jam hoc loco endemicae colicae mentionem facere in promtu est, quae nominibus colicae pictonum, colique de Devonshire, de Cayenne, de Surinam, de Madrid, colique sèche, colique végétale, colique endémique de pays chauds, neuralgia magni sympathici multifariam adumbrata est, permagnam cum colica saturnina similitudinem praebet, quam ob rem etiam factum est, ut plerique medici causam istorum morborum ex plumbi intoxicatione ducendam esse putarent. Multae istiusmodi colicae sane, quemadmodum postea comprobatum est, ex usu vinorum Lithargyro adulteratorum originem duxerant; hoc quidem de colica certe, quae dicitur de Madrid, Poitou, Devonshire satis manifesto demonstratum; aut si alia detrimenta causam praebuerunt, unde morbus excitaretur, hic naturam omnino a colica saturnina discrepantem prae se ferebat. Jam alia hoc loco considerantibus nobis quaestio exoritur, num in omnibus illis colicis, quae a medicis recentioris memoriae praecipue in regionibus maxime ardoribus solis obnoxiis endemica indole insignes observatae sunt, quarumque symptomata ad saturninae colicae similitudinem proxime accedunt, causa ex plumbo repetenda sit, an potius alia adhuc ignota causa, quae ex locorum natura pendeat, sit statuenda, cujus vis, quam in corporis organismum exerceat, omnis generis detrimentis varie augeri possit. Quippe, quae recentiore memoria medici in eo excercitu, qui ex Gallia illustri illa expeditione Aegyptum occupaverat, usu experti sunt, ea prope omnia repugnant, quominus causa illius morbi endemici in plumbo quaeratur. Hoc enim de argumento gravissimi momenti sunt, quae Marquand *) retulit, qui cum antea aetiologiae metallicae

*) Copland, medicin. Wörterbuch. B. 2. p. 259.

assentiretur, ob eamque rem ejusmodi potentiae evitandae causa singulari diligentia uteretur, paulo post suo ipsius usu edoctus pristinam sententiam deposuit. Similiter illustris Fonssangrives*), maritimarum Francogalliae copiarum medicus, in ora occidentali Africae complures illius colicae casus observavit, quae eo auctore in omnibus regionibus occidentalis Africae orae inde a St. Louis (Senegal) 16° latitudinis septentrionalis usque ad St. Paul de Loando 8° latitudinis australis endemicam indolem prae se fert. Hic igitur vir doctissimus hujus endemicae colicae causam in sanguinis intoxicatione positam esse censet, quae ex ignoto quodam miasmate proficiscatur et ei simillima sit, quae ex palustri aëre excitetur: hinc nasci neurosin nervorum sensibilium et motoriorum in systemate cerebrospinali et nervi sympathici.

Ex his igitur, quae adhuc exposuimus, tantum videtur recte sequi, ut endemica quaedam colica, saturninae colicae simillima, tanquam specifica morbi forma statuenda sit; quo loco anamnesin eo pertinere oportet, ut sola diagnosin certiorem faciat.

§. 9. Prognosis igitur, ut ex hac disputatione haud dubie sequitur, generatim in saturnina colica nequaquam improspera ducenda est. Tantum paralyses, quae accedunt et crebriora recidiva, quibus morbus utitur, praesertim si homo a noxia potentia removeri nequit, ejusmodi momenta offerunt, quibus facile periculum gignatur. Paralyses quidem persaepe vehementer pertinaces apparent, ad easque crebro aliae quoque nervorum affectiones associantur; summum periculum est, si cerebri affectiones exsistunt, quod ubi accidit, perfacile aegrotus epilepsiae vel apoplexiae vi confici potest. Jam si paralysis musculorum respirationi inservientium gignitur, morbus semper letalem habet exitum. Recidiva proguosin semper propterea infaustam efficiunt, quod ex iis plumbum pertinaciter in organismo corporis permansisse concludendum est. Sin autem morbus cum ventriculi vel intestinorum inflammatione complicatus est, tum rem prospere eventuram vix sperare licet idcirco

---

*) Canstatt's Jahresbericht über die Fortschritte der gesammten Medicin, Jahrg. 1852. p. 87.

quod ejusmodi causas recte curare perarduum est. At vero omnibus in exemplis de prognosi facile quispiam falli potest: etenim modo aegrotus, qui jam convalescere coepit, praeter opinionem omnium repente cerebri morbo et paralysi afficitur, ex iisque mortem oppetit, modo ejusmodi homines convalescunt, quos ceteroquin omni temporis puncto mortiferis cerebri casibus correptum iri exspectandum fuerit.

§. 10. Quae natura colicae saturninae sit, parum certo explicari potest, cum anatomia pathologica nihil nobis certi de affectionis indole suppeditare valeat. Tanquerel quidem, hunc morbum nihil aliud esse, nisi neuralgiam sympathici, quae plumbi in systema nervorum vi genita sit. Cui Andral, Grisolle, alii assentiuntur, praeterquam quod etiam medullam spinalem participem esse volunt. In medulla spinali sola Astruc morbi sedem positam esse ducit, verumtamen hac in re considerandum est, hoc nervorum centrum animalibus tantum plerisque organis, non vegetativis motum sensumque suppeditare. Jam si Mérat aliique statuunt, colicam saturninam specificam strati muscularis in tractu intestinorum paralysin esse, simpliciter contra hanc opinionem notare sufficit, si hoc ita esset, intestina faecibus coacervatis se amplius extensura esse, porro sphincteribus paralysi correptis, fore, ut faeces sua sponte egererentur.

Quum praecipue intestina dolorum et spasticorum symptomatum sedem praebeant, plane consentaneum est, earum rerum causam in nervis, qui intestinorum functionibus praepositi sunt i. e. in plexibus sympathicis quaesitam esse. Tamen si ita statuas, functioni horum nervorum vehementer repugnes. Sensibilitas ab eis corporis partibus, ad quas Sympathicus pertinet, aliena est et experimentis demonstratum, fibris sympathicis irritamenta sentiendi minime deduci. Itaque mirificam hujus nervi in colica saturnina sensibilitatem duplici tantum ratione interpretari licet. Aut paucae fibrae cerebrospinales sympathico admixtae faciunt, ut irritamenta percipiantur, quae plumbi potentia gignuntur, cum minorem vim physiologicarum irritationum percipi non sinant. Aut statuendum est, in morbo deductionis relationes in nervis sympathicis mutari. Quodsi superiori sententiae adstipuleris, in colica saturnina paucis fibris cerebrospinalibus irritamenta in perceptionem vocari,

medulla spinali illarum fibrarum cerebrospinalium ope eodem tempore irritata sic sympathico systemate affecto spasmi in organis abdominalibus excitari possint, quod in pathologicis conditionibus fieri posse nemo profecto est qui dubitet: etenim, ut exemplo utamur, irritatione medullae spinalis Cardialgiae excitantur. Aut statui oportet, symptomata spastica ex directa gangliorum ipsorum irritatione gigni. Clarissimus Volkmann, abnormes illos in pathologicis conditionibus motus, haud minus quam abnormes perceptiones mutatis nervorum in deducendo relationibus acceptos referendos esse censet. Doctissimus Romberg *), quid sibi de hoc loco videatur, his verbis explicat: Allen Hyperästhesien des Sympathicus kommt zuvörderst eine Anregung von Reflexaktionen in den Muskeln zu, sowohl willkührlichen, als besonders automatischen. Im sympathischen Apparate gelangen im gesunden Zustande die Eindrücke auf die sensiblen Fasern selten zum Bewusstsein, sondern vermitteln sofort die Reflexerregung, in den Hyperästhesien findet jedoch die Leitung nach beiden Richtungen hin statt und so erfolgt nicht bloss Perception der Empfindung, sondern auch Contraction in den Muskelfasern, sei es im Herzen, im Darmkanal, in den Ausführungsgängen der Drüsen oder in den Bauchmuskeln etc. Nächst den Reflexaktionen wird auch die trophische Nervenenergie mehr in Anspruch genommen, als bei den Hyperästhesien der übrigen Cerebrospinalnerven. Die sogenannten vegetativen Verrichtungen (Absonderung, selbst zum Theil die Circulation) sind gestört.

Quae si ita sint, ex his rationibus symptomata in colica saturnina facile interpretari possis: primum dolorem acerrimum, deinde spasticam fibrarum musculorum intestinalium omniumque musculosarum abdominis partium contractionem, tum eam, quae quae hinc nata est, abdominis obstructionem, duritiem, depressionem, tum tumores, quos tangendo percipias, ictericam cutis colorationem spastica ductuum biliosorum contractione effectam, deminutam muci intestinalis secretionem et inde exortam materiarum faecalium duritiem et siccitatem, reliquaque quae huc

*) Romberg, Nervenkrankheiten p. 142.

pertinent, commode explices, modo omnino sententia supra exposita recte et tuto niti liceat.

Denique sententiam nobis doctissimi Henle *) breviter commemore liceat, qui sic statuit: cum plumbum corporis organismum affecerit, plethoram venosam gigni, atque pressionem, quam venae sanguine nimium refertae in nervos, dum ii per ossium foramina transgrediantur, exhibere soleant, veram causam doloris et paralyseos etiam praebere.

§. 11. Colica saturnina in eis hominibus, qui multum ac diu in plumbo tractando occupati sunt, certis cautionibus evitari potest. Istos enim ante omnia decet summam munditiam colere, ut priusquam ad coenam aggrediantur semper manus lavent, os et dentes saepius pulvere carbonico ingesto purgent, interdum etiam balneis utantur. Praeterea cavere eos oportuerit, ne quotidiana opera jejuni aggrediantur, sed potius opera danda est, ut quam optimis possunt alimentis vires muniant ac reficiant, optime paulo ante juribus inspissatis, veluti pisorum ac lentium vescantur. Opima nutrimenta, etiam merum butyrum et oleum, quae quorundam auctoritate **) commendantur, doctissimus et largo rerum medicarum usu prae ceteris expertus Krukenberg minime consentanea ducit; quippe cum oxyda plumbi cum adipe vernicem quandam efficiant, quae ventriculi et intestinorum parietibus firmiter adhaerescit et veneni resorptionem adjuvat. Praeterea ejusmodi operarii ab omnis generis excessibus abstineant ac diligenter sibi temperent, quoniam illis summo opere adventus morbi augetur et acceleratur. Ante os et nares optime fungulos ferre possunt, aqua aliquantum sulfuris continente madefactos, cum mascis similibusque apparatibus semper praemunitum esse nimis molestum esse videatur. In variis operibus singulos alternos occupari attinet, praecipue curandum est, ne singuli perpetuo periculosissimis occupationibus praeponantur. Officinas ipsas, quantum fieri potest, sublime sitas, ampliores et aëri aditum patefacere, etiam a privatorum hominum domiciliis quam longissime abesse oportet. Usum limonadae acidi sulfurici, quam Gendrin, vel

*) Bock, Lehrbuch der Diagnostik p. 174.

**) de Haen, Rat. med. T. X. C. II. Canstatt, medic. Klin. B. IV. p. 633.

acidi nitrici, quam Grisolle ad colicam saturninam praecavendam laudaverunt, plerumque nihil profecisse probatum est, e contrario, si quis folia nicotianae vel manducat vel fumum ex iis trahere consuevit, id impedire videtur, quominus tantum plumbi absorbeatur, eaque de causa haud aspernandum est. Maxime illud quoque convenit, ut operarii octavo vel decimo quarto quoque die laxantia utantur pulveris Jalapae vel guttae olei Crotonis similiumve, praesertim si homines ad obstructionem alvi inclinant. Simulac porro operarius male se habere coepit, eum continuo labori se subtrahere oportet.

Prout singulorum auctorum de natura morbi sententiae inter se discedunt, jam antiquitus therapia saturninae colicae diversa fuit. Etenim qui eam nihil aliud nisi hyperaesthesiam nervorum intestinalium et spasmum musculorum intestinalium inde exortum existimant, Anodyna magnis laudibus efferunt, contra alii, qui eam in specifica muscularis intestinorum strati paralysi positam suspicantur, Purgantia adhibere jubent. Plerique autem medici his duabus rationibus conjunctis uti consuerunt, alii etiam specifica offerunt. Ut vero interna curae ratio adjuvetur, permulti medici externa quoque medicamenta adjiciunt, veluti clysmata, cataplasmata, similia.

Atque in remediorum ad spasmum sedandum idoneorum numero jam ex diuturno tempore Opium primas tenet multorumque clarorum medicorum auctoritate commendatur. Jam Tronchin *) virtutes hujus remedii et egregiam vim in colica pictonum laudibus extulit atque etiam vetus Viennensium disciplina, quo in numero de Haen et Stoll excellunt, semper illud prospero successu adhibuerunt. Cum in hoc morbo ex eo nulli narcotici effectus sequi soleant, majores ejus doses praeberi queunt, auctore Tanquerel bina ad dena grana pro symptomatum pertinacia. Reditus in sanitatem dolorum remissione, qui uno die vel biduo consequitur, et levi faecum excretione indicari solet. Stoll vulgo hanc mixturam suppeditavit: ℞. Opii pur. gr. x, Aqu. flor. Chamomill. ℥vi, Extr. flor. Chamom. ʒiß, Syrup. flor. Chamom. ℥iß, M. D. S. quarta quaque hora cochlearia duo.

---

*) Tronchin, de colica pictonum. Genevae 1757. p. 74.

Plerique medici Opium cum laxantiis conjunctum praebent. Pemberton *) valde commendat conjunctionem opii cum oleo Ricini: ℞. Ol. Ricin. ℥ß, Vitell. ovor. q. s. Tint. Opii gtt. xx, Aqu. Menth. pip. ℥j. M. D. S. sexta quaque hora sumendum. Simul clysmata calidae aquae cum 40 guttis Tincturae Opii et calida in abdomine cataplasmata vel calidas lotiones praescribit. Illustris Krukenberg diei decursu ordinariam laxantiam salium sulfuricorum, vesperi plenam dosin opii gr. ij suppeditare jubet; quae si nihil proficit gr. iv. Simul valde praecipit, etiamsi molestiae remittantur, ne quis usum opii maturius intermittat, si praesertim pulsus pristinam duritiem etiamtum retineat. Atqui vehementer falluntur, qui ex opii usu paralyses nasci putant; quas jam de Haen **) ex hoc remedio multo rarius quam ex aliis medicamentis oriri vidit. Huic alii quoque medici prorsus assentiuntur veluti Andral, Tanquerel, Copland etc. Praeterea etiam Morphium, deinde Belladonna, Extr. Hyoscyami, Nux vomica ut maxime efficacia in colica saturnina commendantur.

Jam methodus purgandi in curanda colica saturnina et ipsa multa et egregia profecit, atque in numero omnium remediorum, quae ad hunc ordinem pertinent, Ol. Cratonis principatum tenet et maximam sibi laudem peperit. Hoc vero intus guttis singulis in uncia una olei papaveris vel amygdalarum dissolutum praebetur, ejusque copiae singulis horis unum cochlear, donec alvi egestio sequatur. Tanquerel existimat, olei croton. ope eos, qui in colicam saturninam inciderint, optime et tutissime in prosperam valetudinem restitui, certissime contra recidiva et intoxicationis symptomata ex systemate cerebrospinali muniri ac defendi. Usus est ***) eo ita, ut unam guttam in cochleari tisanae completa praeberet et si nihil hoc proficeret, cum septem vel octo horae interfluxissent, eandem dosin iteravit. Quodsi aegrotus Ol. Crot. vim non satis perferre potest, sic, ut vomitu ejiciatur, conjunctionem ejus cum Ol. Ricin. commendat (gtt. i Ol. Crot. cum ℥ß Ol. Ricin.),

---

*) Pemberton, Krankheiten des Unterleibes, p. 157.

**) De Haen, R. med. T. III. C. II.

***) Tanquerel, B. I. p. 255.

vel sub clysmatis forma duplici dosi uti jubet. Doctissimus Romberg *) decursu diei Ol. Crot. 1—3 gtt., sub vesperam gr. ß Opii praebet, qua ratione plerumque quinque vel sex dierum intervallo sanavit.

Eorum remediorum in numero Ol. Ricin. Ol. terebinth. et sales sulfurici laudantur.

Specifici nomine multi medici Alumen commendaverunt, quoniam plumbum in plumb. sulfur. mutet, et nonnulli in excrementis istorum aegrotorum puncta ex caeruleo blaescentia se vidisse affirmant, quae pro sale sulfurico hinc nato habuerunt. Utcunque ea sunt, hoc remedium multifariam probatum est et dosi sufficienti suppeditatum (ʒjj—v viginti quat. hor.) oleosis praesertim clysmatis adjutum certam alvi egestionem effecit. Alumen jam Percivall **) commendavit et hac quidem formula: ℞. Alumin. crud. Gumm. Arab. Sacch. alb. $\overline{\text{aa}}$ ℈i M. f. p. Div. in tres part. aequal. binis horis unam dosin.

Tronchin ***) et Grashuis sic praescripserunt: ℞. Aqu. pur. ℥viij, Vin. rhenan. ℥iv Gumm. Tragacanth. Terr. Catech. $\overline{\text{aa}}$ ʒi, Alum. crud. ʒij, M. D. S. hor. bin. cochlearia duo. Tanquerel autem illos Aluminis effectus in octo casibus, quibus illud adhibuit, nunquam probatos reperit, negatque se unquam ulla colicae saturninae curandae ratione tot temporibus continuis ne minimum quidem profecisse.

Eodem consilio intus et acidum sulfur. et sales sulfur. usurpantur.

De remediis, quae extrinsecus ad internam curam prospere adjuvandam praecipiuntur, ante omnia commemoranda sunt: clysmata oleosa cum camphora, vel Asa foetida, et Semina Lini, adjecto etiam Ol. Crot., Opio, Herb. Nicotian. similibusque; deinde cataplasmata et fomentationes in abdomine, tum infrictiones ejus Ol. Crot., aliis oleosis vel etiam narcoticis remediis; item vesicantia abdomini vel femoribus applicata multi laudaverunt. Nec minus lavationes ut in acutis ca-

---

*) Romberg, Nervenkrankheiten. S. 52.

**) Murray's med. Bibl. T. 1. P. I. p. 90. Duncan's med. Commentar, a. d. Engl. F. I. P. 3. p. 305.

***) Tronchin et Grashuis, de colic. picton.

sibus saepenumero haud levia adjumenta, sic in chronicis propemodum praecipua et gravissima exhibere traduntur.

Huc accedunt etiam compluria praecepta complicata ad curandam colicam saturninam maxime idonea, quo in numero cumprimis illud *) quod dicitur, traitement de la Charité, eximiam laudem sibi comparavit. Positum est enim in vicissitudine purgantium drasticorum, opiatorum, emeticorum, diaphoreticorum, et in septem dierum spatium formulatum est.

Dum universa cura peragitur, severe diaetam observare optimum est, neque omnibus symptomatis finitis alimenta nisi paulatim praebenda sunt, quod nisi fit, facile periculum est, ne mali casus revertantur.

Ubi convalescere aegrotus coepit, principio haud male alumen per aliquot dies suppeditatur et curandum est, ut alvus semper recte ducatur. Sensim ad roborantia remedia transitur, quae convenienter cum laxantibus et antispasmodicis conjungi possunt.

---

*) Tanquerel B. 1, p. 242.

Vita.

Carolus Aemilius Thiele, fidei addictus evangelicae, natus sum Alslebiae die tertio mensis Junii anni h. s. XXIX., patre Carolo Guilelmo, matre Aemilia, quos incolumes diu Deus mihi servet pio animo precor. Litterarum elementis imbutus primum gymnasium Islebiense, tum paedagogium regium Halense, denique gymnasium Quedlinburgense frequentavi. Unde maturitatis testimonio instructus autumnali tempore a. h. s. XLIX. Gryphisvaldensis Universitatis civibus a rectore magnifico Ill. Barkow adscriptus sum. Autumno a. h. s. LI. ad hanc almam musarum sedem me contuli, ubi ab Ill. Eiselen t. t. prorectore magnifico in civium academicorum numerum receptus apud Ill. d'Alton t. t. ordinis medicorum gratiosi Decanum spectatissimum nomen professus sum.

Gryphiis hisce scholis interfui: Ill. Hünefeld de mineralogia, de chemia theoretica et practica, Beat. Hornschuch de zoologia, de botanice, Ill. Stiedenroth de logice et psychologia, Ill. Tillberg de physice, Ill. Schultze de anatomia et de arte cadavera rite dissecandi, de anatomia generali et comparata, de physiologia, Ill. Haeser de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia generali, Ill. Laurer de materia medica.

Halis frequentavi:

Ill. d'Alton de arte cadavera rite dissecandi, de anatomia pathologica, Ill. de Baerensprung de pathologia et therapia generali et speciali, de auscultatione et percussione, Beat. Steinberg de chemia experimentali, de pharmacia, Ill. Volkmann de physiologia, Ill. Krahmer de medicina forensi et arte formulas concinnandi, Ill. Hohl de arte obstetricia, Ill. Blasius de chirurgia, de akiurgia, de fasciis et de instrumentorum apparatu, de fracturis et luxationibus, de operationibus ophthalmiatricis, Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quam possum maximas semper agam gratias.

Scholis clinicis interfui obstetriciis apud Ill. Hohl, chirurgicis apud Ill. Blasius, medicis apud Ill. Krukenberg.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

Vita.

Carolus Aemilius Thiele, fidei addictus evangelicae, natus sum Alslebiae die tertio mensis Junii anni h. s. XXIX., patre Carolo Guilelmo, matre Aemilia, quos incolumes diu Deus mlhi servet pio animo precor. Litterarum elementis imbutus primum gymnasium Islebiense, tum paedagogium regium Halense, denique gymnasium Quedlinburgense frequentavi. Unde maturitatis testimonio instructus autumnali tempore a. h. s. XLIX. Gryphisvaldensis Universitatis civibus a rectore magnifico Ill. Barkow adscriptus sum. Autumno a. h. s. LI. ad hanc almam musarum sedem me contuli, ubi ab Ill. Eiselen t. t. prorectore magnifico in civium academicorum numerum receptus apud Ill. d'Alton t. t. ordinis medicorum gratiosi Decanum spectatissimum nomen professus sum.

Gryphiis hisce scholis interfui: Ill. Hünefeld de mineralogia, de chemia theoretica et practica, Beat. Hornschuch de zoologia, de botanice, Ill. Stiedenroth de logice et psychologia, Ill. Tillberg de physice, Ill. Schultze de anatomia et de arte cadavera rite dissecandi, de anatomia generali et comparata, de physiologia, Ill. Haeser de encyclopaedia et methodologia medicinae, de pathologia generali, Ill. Laurer de materia medica.

Halis frequentavi:

Ill. d'Alton de arte cadavera rite dissecandi, de anatomia pathologica, Ill. de Baerensprung de pathologia et therapia generali et speciali, de auscultatione et percussione, Beat. Steinberg de chemia experimentali, de pharmacia, Ill. Volkmann de physiologia, Ill. Krahmer de medicina forensi et arte formulas concinnandi, Ill. Hohl de arte obstetricia, Ill. Blasius de chirurgia, de akiurgia, de fasciis et de instrumentorum apparatu, de fracturis et luxationibus.. de operationibus ophthalmiatricis, Ill. Krukenberg de pathologia et therapia speciali.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quam possum maximas semper agam gratias.

Scholis clinicis interfui obstetriciis apud Ill. Hohl, chirurgicis apud Ill. Blasius, medicis apud Ill. Krukenberg.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

Theses.

I.

In colica saturnina dolores colici ante obstructionem et exoriuntur et evanescunt.

II.

Rhythmici cordis motus ex organis centralibus in ipso corde positis pendent.

III.

Operatio hydroceles per excisionem ceteris methodis est praeferenda.

IV.

Virginitatis signum certum exstat nullum.